

Biogr. er. D

1555, 44

COMMENTATIO
DE VITA ET MERITIS
AVGVSTI CARPZOVII
GLORIOSISSIMAE MEMORIAE DVCIS SAXONIAE ALTEN-
BURGENSIS
FRIDERICI GVILIELMI
CANCELLARII ET AD PACEM WESTPHALICAM LEGATI

INVITATIONI DECENTI
AD PANEGYRIN SOLLEMNEM
NATALI AVSPICATISSIMO
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
FRIDERICI TERTII
DVCIS SAXONIAE
IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE ET WESTPHALIAE,
LANDGRAFII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS
DIGNITATE COMITIS HENNEBERGIAE, COMITIS MARCAE
ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII
ET TONNAE
PATRIS PATRIAE AC DOMINI NOSTRI
LONGE CLEMENTISSIMI
IN ILL. GYMNASIO GOTHANO
D. XXVII. APR. A. MDCCCL. HORA VIII, MATVTINA
DEMISSISSIME DICATAM
ET BIGAE IUVENVM EXIMIORVM ORATIONES
BENIGNE AVDIENDAS

PRAEMISSA
A
IO. HENR. STVSS
GYMN. RECT. ET REG. PRVSS. SCIENTIAR. ACAD.
COLLEGA.

GOTHAE LITTERIS REYHERIANIS.



Vitt. Cond. Sing. Vol. Can. - Laz.

*clmo Rectori scmmi
die 1. p. d. t. b. e.*

Biogr. erud.

D. 1555, 44

I. *Instituti ratio.*

II. *Augusti Carpzovii genus, et parentes.*

III. *Studia ad maturitatem perducta.*

IV. *Honores academici, et munerum initia.*

V. *Consilii aulici Altenburgensis, Legati*

ti ad pacem Westphalicam, Cancellarii Coburgensis, nec non Consilii intimi Saxo-Gothani optime administrata officia.

VI. *Pietas et beneficentia singularis.*

VII. *Obitus beatus.*

VIII. *Inuitatio ad audiendas orationes.*



I.

Quod pie recondendae memoriae diuini, per pacem Westphalicam Germaniae, discordiis ciuilibus fessae atque exhaustae, et causae inprimis euangelicae praestiti beneficii superiori et proximo anno dedimus; id hoc ipso etiam anno, quo ob pacem illam, ad exitum demum atque effectum exoptatissimum perductam, ante integrum iam saeculum institutae multis locis sunt supplicationes religiosissimae, eidem memoriae, dignissimae, quae grata mente celebretur, dare fas et aequum duximus. Atque uti occupatae fuerunt vltimae, eaeque exiles, et in arctum coactae pro tempore, commentationes nostrae in Viri illustri, GE. ACHATII HEHERI, ex Aula Vinariensi, atque Gothana Ernestina ad pacificationem illam legati, vita et meritis ob oculos quodammodo ponendis; ita et eadem necessitate constrictae hae pagellae magno itidem et commemorabili pietate et sapientia Viro, AVGVSTO CARPZOVIO, ex Aula Altenburgensi, sub beatissimae memoriae Duce FRIDERICO GVILIELMO seorsim tum florente, ad idem grande et operosum pacis negotium legato, qualiscumque non tam laudationis, quam commemorationis officium praestare nitentur. Et vero tanti Viri eo certe enixius ab obliuione vindicari meretur memoria, quo luculentiori ille in omni vita exemplo demonstravit, quod pietati ac religioni in aulis etiam, inque mentibus virorum, grauissima Principum negotia tractantium, quique, ut cum Horatio loquar, versantur ciuilibus vndis, locus esse possit. Exstat, praeter vberem, lectuque dignissimam, atque ex ipsius beati Viri commentariis, τὰ περὶ ἑαυτοῦ, non absque adiectis piis ad Deum suspiriis, accurate enarrantibus, potissimum concinnatam, et concioni funebri iunctam, vitae historiam, non solum *parentatio* IO. SAURBREII, in Gymnasio Coburgensi Professoris, qua *pietas Carpzouiana* e Viri symbolo, PVRAE MANVS SVNT SERVANDAE DEO, REGI, LEGI, demon-

monstratur; sed et *programma Directoris*, ad exsequias inuitans, quo eadem iustis laudibus extollitur; et idem agens, breuis, *Historiae illustris Casimiriani Ludouicianae* (a) inserta; nec non succincta admodum, *tomo ultimo Actorum pacis Westphalicae, ex editione ill. IO. GOTHOF. de MEIERN*, indicem, et reliquorum etiam legatorum ad hanc pacem vitas exhibenti, praemissa biographia (b). Atque ex his potiora heic strictim excerpta dabo.

II. Quae GENTIS CARPZOVIAE, hodieque florentissimae, et, qua patet orbis eruditus, celebratissimae, admiranda plane et quasi propria felicitas est, ea nostro, nascendi sorte beato, atque e quinque fratribus, ad amplissimos honorum gradus euectis, (c) nati minimo diuinitus itidem contigit. Patrem nempe habuit BENEDICTVM CARPZOVIVM, Ictum, ex Professore Iuris ordinario in alma Leucorea Cancellarium viduae electoralis Saxonicae, Colditii degentis, matrem vero CHRISTINAM, SAMVELIS SEELFISCHII, consulis, et bibliopolae Witebergensis, filiam. Auus fuit SIMON CARPZOVIVS, vrbis Brandenburgi consul, anno MDCLXXX. defunctus. In lucem vero editus est noster Colditii d. iv. Iun. a. MDCCXII. nomenque AVGVSTI a Serenissimo susceptore AVGVSTO, Electorum Saxoniae, CHRISTIANI I. filio, AVGVSTI nepote, traxit.

III. Ad magna destinatum, et pietatis ac bonarum artium praecepta auide haurientem optimi pueritiae atque adolescentiae moderatores ita instituerunt, ac praeformarunt, vt iam decimo quarto aetatis anno amplissimum academicorum studiorum cursum rite ingredi, et feliciter decurrere posset. In hoc vero postquam, rarissimo hodie exemplo, sex integros annos non nisi humanioribus, et philosophicis disciplinis impenderat, publiceque defensa *disputatione de Bello* profectuum specimen ediderat, ad Iuris demum Legumque studium totum se

* 2

con-

(a) Gottfr. Ludwigs *Ehre des hochfürstl. Casimiriani Academici in Coburg* Part. II. pag. 170.

(b) *Lebens-Geschichte der Westphälischen Friedens-Gesanten*, p. 57.

(c) Fratres illi AVGVSTI CARPZOVII nati maiores sunt, D. CONRADVS CARPZOVIVS, Prof. Institut. & Cod. in Acad. Witeberg. tandemque Consiliarius intimus & Cancellarius Sereniss. Administratoris Archi-

episcopatus Magdeburgici. D. BENEDICTVS CARPZOVIVS, Sereniss. Electoris Saxon. intimus, et in tribunali appellationum Consiliarius, atque collegii Ictorum Ordinar. Lips. D. CHRISTIANVS CARPZOVIVS, Profess. Pandect. Ordin. in academia Viadrina, et D. IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS, SS. Theol. D. P. P. et Pastor ad D. Thomae Lips. Vid. *Histor. ill. Casimiriani l. c.* et *Lexicon histor. vniu. Lips.*

contulit, idque per quinquennium in alma Leucorea, Philurea, et Sa-
lana, ducibus viris clarissimis, et speciatim fratre CONRADO, quo prae-
fide etiam *de Legatis et fidei commissis*, nec non *de Legitimatione libero-*
rum publice disputavit, tam strenue, tamque praeclare excoluit, quam
qui maxime.

IV. Inde ex otio academico ad publica negotia se conferendi com-
modam nactus occasionem, cum modo laudatus frater, CONRADVS
CARPZOVIVS ad conuentum Collegii electoralis Ratisbonensem, qui
et electioni Caesaris FERDINANDI III. dabatur, anno superioris
saeculi xxxvi. amandaretur, ei comitem se adiunxit, rerumque ad sta-
tum Imperii publicum pertinentium notitiam in re praesenti eximiam si-
bi comparauit. Anno sequente redux, suasu fratrum natu maiorum, ad-
uocati ordinarii in curia prouinciali, quae Witebergae est, munus decen-
ter ambiit, eoque facile potitus, summos in Iure honores, habita inaugura-
li, *de Propinquitate matrimonio aduersa*, disputatione a. c i c i c c x x x v i i i .
capeffiuit. Hinc scholas aperuit priuatas, agendisque causis sedulam
impendit operam. Deinde, misso aduocati munere, magistrum vltorio-
ris prudentiae politicae, aulam electoralem, quae Dresdae tunc florebat,
elegit, inuitatus ab immortalis nominis theologo, ea in aula primario,
MATTHIA HOE AB HOENEGG, vt nobilissimo filiorum pari, acade-
micis studiis iam innutrito, (d) in vberiori legum peritia comparan-
da operam addiceret. Oblatam interim Iuris in academia Witebergen-
si publice explicandi spartam modeste deprecatus, Serenissimo Saxoniae
Electori in demandata variarum rerum cognitione atque compositione
peritiam, fidem, dexteritatem abunde probauit. Neque multo post, eo-
dem consentiente, Illustrissimo Comiti Stolbergensi, IO. MARTINO,
consiliarii munus offerenti, operam addixit, eaque integritate ac felici-
tate praestitit, vt inter alia controuersiam diuturnam, quae ipsi cum
fratre de auitarum ditionum partitione intercesserat, vtriusque bona
cum gratia componeret; ac proinde laudatus Comes, cum collegio
Scabinorum, et curiae prouinciali supremae, quae Lipsiae est, adessor
designatus noster missionem peteret, eum, oblata etiam Cancellarii di-
gnitate, sibi retinere summo niteretur opere.

V. Verum, en singularem diuinae prouidentiae nutum! iam fol-
lemni iuramento officio illi Lipsiensi inaugurandum Celsissimus FRI-
DERI-

(d) Bini illi filii MATTHIAE HOE HOE, Cancellarius tandem Wurzenfis,
laudantur in biographia nostri, concio- et MAXIMILIAN. FERDINANDVS
ni funebri subiuncta, MATTHIAS HOE, Consiliarius aul. Dresd.

DERICVS GVILIELMVS, Dux Saxoniae Altenburgensis, in Consiliariorum numerum, idque aduente Potentissimo Electore, cooptat, et mox, mense Iun. anni **CIOICXXXV.** cum generosissimo WOLFGANGO CONRADO A THVM SHIRN, ad arduum pacificationis Monasterio-Osnabrugensis negotium, cui per integrum ferme quadriennium summa cura, sollicitudine, diligentia interfuit, legatum amandat. Eo feliciter tandem confecto, Kal. Iun. a. **CIOICXXXVIII.** Altenburgum redux, benignissimeque a Principe exceptus, mox sequenti anno **CIOICL.** (quo et Cancellarii Coburgensis (e) dignitate auctus est, et matrimonium auspiciatissimo iniiit cum nobilissima SABINA ELISABETHA ANKELMANNIA, Lipsiensi) tractatibus Norinbergensibus, qui executioni pacis procurandae impendebantur, interesse iussus, iterum muneris partes egregie expleuit. Quantae molis negotiis, praeter quotidiana spartae grauiissimae munia, expediendis porro fuerit adhibitus, vel ex iis, quae memorata inuenio, atque hoc loco non omittenda duco, elucescit. (f) Norinberga reuersus visitationi terrarum Hennebergicarum, deinde comitiis Ratisbonensibus anno saeculi **LIII.** conuentibus circuli Saxonici a. **LIV. LVIII. LXIII. LXV.** circuli Franconici a. **LIV. LXIII.** tractatibus cum consanguineis Ducibus lineae Vinariensis inter annos **LXIII.** et **LXX.** quinquies, cum Episcopo et Principe Herbipolensi a. **LVI. LXX.** cum Bambergensi a. **LXI.** cum Eichstadiensi a. **LVI.** et **LX.** cum Abbate Principe Fuldensi a. **LVIII.** interfuit. Visitationem ecclesiarum et scholarum in portione Hennebergiae Altenburgica a. **LXII.** in Ducatu Coburgensi a. **LXXIV.** moderatus est; nec minus Academiae Ienensi visitator datus a. **LXIX.** Ad Potentissimum Electorem Saxoniae gemina vice legatus missus est a. **LXXVI.** et **LXXIX.**

* 3

nullibi

(e) Nempe in ditione Sereniss. Ducis Altenburgensis tum erat principatus Coburgensis.

(f) Facere non possum, quin sequentia ex *Historia ill. Casimiriani* p. 171. adscribam. Er fand beym Antritt seines Cancellariats das Fürstenthum nach den langwierigen Kriegestroublen fast in desolaten Zustande; so wohl in dem Civil-Wesen als Kirchen und Schulen war alles in grosser Zerrüttung. Desto herrlicher aber zeigte sich, wie viel gutes Gott in diesen Mann geleet, indem er das Land wieder in löbliche Ordnung gebracht, und den grof-

sen Credit, den er bey jedermann, insonderheit aber seiner Hochf. Herrschafft hatte, mit vielen Seegen wohl angewendet. Denn es war ihm die gantze Last als einem andern Eliakim auf seine Schultern geleet. Bey Fürstl. Regierung war er Cantzler; im Consistorio Praesident; im Gymnasio Protoscholarcha; bey Fürstl. Cammer hatte er zugleich die Aufsicht; in Summa, er war fast alles dasjenige in der That, was ehemahls die Fürstl. Statthalter gewesen. De admirabili viri pietate etiam legi merentur, quae ibi sequuntur.

nullibi non, quod in Deum auctorem referebat, praeterquam in negotio Bambergensi, felicissimo euentu adspirante. Hinc et perenni magnorum Principum, qui tam rarae, tamque caelitus beatae virtutis ministrum in magna felicitatis parte ponebant, gratia floruit, et post excessum Diui FRIDERICI GVILIELMI, qui incidit in annum saeculi LXVIII. Tutoribus iunioris tum Principis Celsissimis, IO. GEORGIO II. Electori Saxon. et MAVRITIO, Duci Cizenfi, pupilloque Principe itidem a. LXXII. ad aeterna translato, et successio- nis in ditiones Altenburgenses iure ad Serenissimum ERNESTVM PIVM deuoluto, huic ipsi, Primogenitoque, Serenissimo FRIDE- RICO I. mirifice semper probatus, et numquam non in oculis fuit habitus; adeo vt, cum consilium intimius sacer Fratrum Ducum septe- narius sub moderamine Primogeniti Gothae constitueret, adiungendus eidem CARPZOVIVS noster impense desideraretur, transferendaeque hanc in vrbem familiae, ita cupiente Serenissimo, consilium caperet: donec per fraternam transactionem a. LXXX. terrae Coburgenses ad Se- renissimum Ducem ALBERTVM deuoluerentur: vbi missionem a Cancellariatu, eique adnexis muneribus, retenta tamen intimioris Consiliarii Gothani sparta, demumque etiam Coburgum cum suis re- deundi, ibique vitam placide transigendi facultatem impetrauit. (g) Id quod eo gratiori pectore agnouit, quo maiori onere se subleuatum, adeoque ad curanda ea expeditiorem redditum, quae vltima solent prae- stare feliciora, sensit.

VI. Ceterum quam sincera, quam constans, quam ardens fuerit per omnem vitam magni huius et perillustri Viri pietas, quamque lu- culenter ea sese exseruerit creberrima mentis ad Deum per preces et su- spiria eleuatione, attentissima verbi diuini lectione, indefessa cultus sa- cri frequentatione, domesticae disciplinae ad omne decus christianum confor-

(g) In den Lebens-Geschichten der West- phälischen Friedens-Gesanten (welche, wie anderswo angemercket wird, unser Carp- zov alle überlebet) ist auch folgendes von ihm angeführet p. 58. Zum Beschluß sei- nes Protocolls, so er in die 30 Jahr lang bey Fürstl. Raths-Stube in Coburg gehalten, hat er zu Ende folgende Worte geschrie- ben: O Gott, WVnDerLich sInD Ia DeIne Werke, Pf. 66. v. 3. SCrIbebat per trIgInta annos CanCeLLarIVs pro

CLaVsVLa mVnerIs faVsta et Laeta, ipso die vigesimo tertio Aprilis curren- tis anni. Er ward beständig in Verschi- ckungen auf die Craystäge, und an be- nachbarte Höfe gebrauchet, und hat über- all eine ausnehmende Geschicklichkeit nebst einem erstaunlichen Fleiß bezeigt, welches seine in vielen Voluminibus bestehende ei- genhändig geschriebene ausführliche Pro- tocolla und Diaria bestätigen.

conformatione, scripto etiam libello, meditationes in sanctissimam Seruatoris passionem continente, (b) pluribus exponunt supra laudatae narrationes. Eaedem vero, et inprimis illa, quae in Historia ill. Casimiriani legitur, eiusdem mirificam quoque, et posteris profuturam beneficentiam laudant, templi in coemeterio Coburgensi necessarii, cum insigni e re sua impendio, procurata exstructione; fisci viduarum, quarum mariti in ecclesiis, scholisque docuerant, legatis perliberaliter mille florenis, nec non alumni Carpzouiani inter eos, qui liberali mensa in Gymnasio Coburgensi aluntur, constitutione; legatorum, quibus hodieque fruuntur, qui Coburgensi in vrbe ecclesiis praesunt, inque Gymnasio et schola iuuentutem formant; nec non praelarga munerum variorum in alias pias causas et egentioris fortis homines erogatione, demonstratam.

VII. Ad beatam vitae, tam praeclare, tamque admirabile in exemplum peractae, clausulam quod attinet, correptus quidem noster fuit familiari doctorum morbo hypochondriaco: sed hic tamen medicamentorum, ita relatum lego, ex instructissimo pharmacophylacio laboriosissimae coniugis, aut etiam praescripto medici adhibitorum, efficacia numquam non fuit superatus: tandem tamen paucis ante obitum diebus tanta vi incubuit, vt interiora corporis doloribus ac aestibus vix tolerabilibus perstringeret, & aegrum plane prosterneret. Hinc praeter medicum corporis, pronunciantem, inflammatione intestinorum et mesenterii ad gangraenam tendente, aegrum laborare, accitus animae medicus deprehendit Virum contra mortis metum satis obfirmatum, et caelestium desiderio plane ardentem, qui et die XIX. Nouembr. anni superioris saeculi LXXXIII. aetatis annum agens LXXII. placidissime exspiravit, et die II. Decembr. honestissimo funere est elatus; filios autem superstites sex, splendidis muneribus ciuilibus et militaribus functos, filiamque vnicam, bene collocatam, reliquit. Vtinam vero ipsa luculenta
plane,

(b) Titulus libri est, *Der gekreuzigte Iesus, oder Betrachtung der heil. Passions-Historie* Cob. 1679. 8. und mit vorgesetzten Nahmen des Auctoris daselbst wieder gedruckt. 12. Addo e parentatione Saurbreiana sequentia. *Von dieser Gottseligkeit reden gleichsam und zeugen die GeheimdenRaths-Cantzlar-undConsistorial-Stuben, unser öffentliches Kirch-und Gottes-Haus, sein Museum und Devotions-Kämmerlein, seine so offte durchlesene, und mit*

vielen Andachts-vollen Marginalien eigenhändig bezeichnete Ernestinische Bibel; davon zeugen auch so viel geistliche wohl gesetzte suspiria et desideria, die noch hier und da in seinen Gebet-und andern Büchern, in seinen Curriculo vitae, und sonsten aufgezeichnet gefunden werden, ja es redet davon sein in die erstarrte Hände mitgegebenes, von ihm selbst ausgefertigtes schönes Passional-Büchlein.

plane, neque solum viri in tanto honorum culmine, et negotiorum strepitu, vere pii exemplum sistens, sed et permulta, historiam aularum, Altenburgensis, Gothanae, Coburgensis, speciatim illustrantia continens, vitae descriptio plurimum in manibus esset! Vtinam aliquis, huic negotio par, selectas huiusmodi magnorum in aulis ministrorum vitas peculiari volumine, publice certe profuturo, ederet, quodque inferioris subfelli viris datur, longe illustrioribus etiam, talibus praesertim, qui ipsi tam diligenter, uti CARPZOVIVS nosler, vitae suae actus consignarunt, praestaret!

VIII. Sed haec haecenus. Iam memoranda restant orationum, quae in panegyri sollemni, AVSPICATISSIMO SERENISSIMI PATRIS PATRIAE NATALI dicata, a iuuenibus, indole felici et adfida diligentia belle exulta, morumque probitate ac modestia laudabili in spem patriae efflorescentibus, crastina luce, hora VIII. matutina recitabuntur, argumenta.

Nempe deuotissimo congratulationis et pietatis officio defuncturi, dicturique sunt,

CAROLVS ADOLPHVS WACHLER, GOTHANVS,

*de auctoritate Pontificis Romani per pacem Westphalicam valde immi-
nuta, Latine, iuncto carmine Germanico; et*

CHRISTIANVS FRIDERICVS HAERLEIN, GOTHANVS,

*de stabilita pacis Westphalicae tabulis dissidentium in religione toleran-
tia, sermone, et carmine Latino.*

Iam PERILLVSTRES AVLAE PROCERES, PVBLICAEQVE ET SACRAE REI CVRATORES SVSPICIENDI, EPHORI GYMNASII VENERANDI, ET VARIA MVNERVM DIGNITATE SPECTABILES, AMPLISSIMIQVE MVSARVM PATRONI FAVTORESQVE, QVI GOTHAM LITTERATAM EXORNANT, vt panegyri hancce exoptata frequentia cohonestare, Musisque dicatae iuuentuti benigna auscultatione calcar addere ne dedignentur, demissa, qua par est, obseruantia etiam atque etiam publico nomine rogantur.

P. P. D. XXVI. Apr. a. CIQIÖCCL.

